a patre et didicit venit ad me. Non quia patrem vidit quisquam. nisi is qui est a deo hic vidit patrem. Amen amen dico vobis. qui credit in me. habet vitam eternam. Ego sum panis vite. Patres vestri manducaverunt manna in deserto. et mortui sunt. Hic est panis de celo descendens. ut si quis ex ipso manducaverit non moriatur. Ego sum panis vivus qui de celo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane. vivet in eternum. Et panis quem ego dabo. caro mea est pro mundi vita. Offertorium. Emitte spiritum tuum et creabuntur. et renovabis faciem terre. sit gloria domini in secula al'. Secreta. Accipe quesumus domine munus oblatum. et dignanter operare. ut quod misteriis agimus. piis effectibus celebremus. Per.

Pacem meam do vobis al'. pacem relinquo Com. P. vobis. al' al'. Complenda. Sumentes domine celestia sacramenta quesumus clementiam tuam ut quod temporaliter gerimus eternis gaudiis consequamur. Per. Feria v. agitur sicut in die sancto penthecosten. Lectio actuum apostolorum.

post Pentec.

In diebus illis. Philippus descendens in civitatem samarie. predicabat illis Christum. Intendebant autem turbe hiis que a philippo dicebantur. unanimiter audientes et videntes signa que faciebat. Multi enim eorum qui habebant spiritus immundos. clamantes voce magna exibant. Multi autem paralitici et claudi curati sunt. Factum est autem gaudium magnum in illa civitate. Secundum Lucam.

In il. t. convocatis ihesus duodecim discipulis. [illegible] dedit illis virtutem et potestatem super omnia demonia. et ut languores curarent. Et misit illos predicare regnum dei. et sanare infirmos. Et ait ad illos. Nichil tuleritis in via. neque virgam. neque peram. neque panem. neque pecuniam. neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domum intraveritis. ibi manete et inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos. exeuntes de civitate illa etiam pulverem pedum vestrorum excutite. in testimonium supra illos. Egressi autem circuibant per castella evangelizantes et curantes ubique. Feria vi. ad porrectam missam que festive agitur omnia sicut in die sancto. Ad missam que est de ieiunio.

post Pentec.

Repleatur os meum laude tua al'. ut possim cantare al'. gaudebunt labia mea dum cantavero tibi al' al'. Ps. In te domine speravi non confundar in eternum. in iusticia tua libera me et eripe me.

Da quesumus ecclesie tue misericors deus. Oratio. ut spiritu sancto congregata hostili nullatenus incursione turbetur. Per eundem. Lectio actuum apostolorum.

In diebus illis. Aperiens petrus os suum dixit. Viri israelite. audite verba hec. Ihesum nazarenum virum approbatum a deo in vobis virtutibus et prodigiis et signis que fecit per illum deus in medio vestri sicut et vos scitis. Hunc diffinito consilio. et prescientia dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis. Quem deus suscitavit solutis doloribus inferni. iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum. Providebam dominum in conspectu meo semper. quoniam a dextris est michi ne commovear. Propter hoc delectatum

est cor meum et exultavit lingua mea. in-
super et caro mea requiescet in spe. Quoniam non
derelinques animam meam in inferno. nec da-
bis sanctum tuum videre corruptionem. Notas
michi fecisti vias vite replebis me leticia
cum vultu tuo. Alleluia. V. Non vos relinquam
orphanos. venio ad vos. et gaudebit cor
vestrum. Secundum Lucam.
In illo tempore. Factum est in una dierum. et ihc sede-
bat docens. Et erant pharisei et legis do-
ctores sedentes. qui venerant ex omni castel-
lo galilee et iudee et ierusalem. et virtus domini e-
rat ad sanandum eos. Et ecce viri portan-
tes in lecto hominem qui erat paraliticus
et querebant eum inferre et ponere ante
eum. Et non invenientes qua parte il-
lum inferrent pre turba. ascenderunt sup-
ra tectum. et per tegulas submiserunt illum cum
lecto in medium ante ihm. Quorum fidem
ut vidit dixit. Homo remittuntur tibi pec-
cata tua. Et ceperunt cogitare scribe et
pharisei dicentes. Quis est hic qui loquitur
blasphemias. Quis potest dimittere
peccata nisi solus deus. Ut cognovit autem
ihc cogitationes eorum. respondens dixit
ad illos. Quid cogitatis in cordibus vestris.
Quid est facilius dicere dimittuntur tibi
peccata. an dicere. surge et ambula. Ut
sciatis autem quia filius hominis habet
potestatem in terra dimittendi peccata. ait
paralitico. Tibi dico surge tolle lectum
tuum. et vade in domum tuam. Et confestim sur-
gens coram illis tulit lectum in quo ia-
cebat. et abiit in domum suam. magnificans
deum. Et stupor apprehendit omnes et
magnificabant deum. Et repleti sunt timore di-
centes. quia vidimus mirabilia hodie. Offer.
Lauda anima mea dominum. laudabo dominum in
vita mea psallam deo meo quamdiu ero all'.
Sacrificia domine tuis oblata conspectibus. Sec.
ignis ille divinus assumat. qui discipu-
lorum xpi tui per spiritum sanctum corda succendit. P.
Spiritus ubi vult spirat et vocem eius Com.
audis all'. et nescis unde veniat aut quo va-
dat all' all' all'. Compl'. Sumpsimus domine sacri
dona misterii humiliter deprecantes. ut
que in tui commemoratione nos facere pre-
cepisti. in nostre proficiant infirmitatis au-
xilium. P. Sabbato ad [illegible] festiva
dominica sicut in die sancto. Lectio actuum apostolorum.
In diebus illis. Convenit universa civi-
tas audire verbum domini. Videntes autem iudei
turbas. repleti sunt zelo. et contradice-
bant hiis que a paulo dicebantur blas-
phemantes. Tunc constanter paulus
et barnabas dixerunt. Vobis oportebat
primum verbum dei loqui. sed quoniam repellitis
illud. et indignos vos iudicatis eterne
vite. ecce convertimur ad gentes. Sic enim
precepit dominus nobis. Posui te in lucem gentium
ut sis in salutem usque ad extremum ter-
re. Audientes autem gentes gavise sunt
et glorificabant verbum domini. et credide-
runt quotquot erant preordinati ad vitam
eternam. Disseminabatur autem verbum domini
per universam regionem. Iudei autem concitaverunt reli-